

tione sint sponsalia de futuro. » Ratio ibidem subjungitur : « Quia per dictum contractum, qui valuit, ut potuit, non sicut agebatur publicæ honestatis justitia est inducta. » Concordat illud dictum summarii, et doctores in l. *Tam augusta*. 17. ff. *de Servitut.* « Si non valet, quod ago, ut ago, valeat, ut valere potest, » quod etiam habet Glossa in cit., c. un., h. t., in 6. §. *Matrimonium*.

Nec obstat l. *Quæsitum*. 9. ff. *de Sponsal.* ubi conclusio expresse negari videtur. Resp. enim, illam legem esse correctam a jure canonico, cui in materia matrimonii et sponsalium standum est, uti cum communi aliorum recte advertit Gonzalez in cit., c. fin., h. t. n. 4.

19. *Nisi contrahentes contra hæc expresse protestarentur.* — Illud tamen observandum, quando impuberes matrimonium contrahentes manifeste exprimerent, quod, si ex defectu ætatis non valeat hoc eorum matrimonium, nollent contrahere sponsalia de futuro, in hæc matrimonium non transiret; quia deficeret consensus, et procederet illud tritum : « Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum » l. *Non omnis*. 19. ff. *Si certum petatur*. Verum hæc exclusiva intentio, nisi probetur, non præsumitur, sed potius contrarium, per jura citata.

Porro num conclusio locum habeat etiam in casu, quo non tantum defectus ætatis, sed etiam præsentia parochi et testium intervenit, dicemus tit. sequenti.

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

1. Ratio ordinis. Absoluta una specie desponsationis, pergit compilerator canonum ad aliam speciem desponsationis, clandestinæ nempe. Ubi tamen notandum, quod, licet alias proprie loquendo desponsationis nomine sola intelligantur sponsalia de futuro arg. l. *Sufficit*. 4. ff. *de Sponsal.*, tamen ad præsens desponsatio sumatur pro sponsalibus de præsentia, seu pro ipso matrimonio, c. *Tua nos*. 26. *de Sponsal.* et can. *Conjux*. 9. cau. 27, q. 2

§ I.

DE DENUNTIATIONIBUS, ET MATRIMONIO CLANDESTINO OB EARUM OMISSIONEM.

2. *Matrimonia dupliciter possunt esse clandestina.* — Notandum prius, matrimonium duplici præcipue modo esse, et dici clandestinum. Primo, si contrahitur sine præscriptis ab ecclesia denuntiationibus c. fin. h. t.; secundo, si sine requisita præsentia parochi et testium, concil. Trident. sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. 1. Addit Glossa, in c. fin. h. t. §. *Clandestina*, etiam tertium modum, videlicet, quando contrahitur sine solemnitatibus præscriptis can. 1, cau. 30, q. 5, quæ hodie haud amplius sunt in usu. De primo agemus in præsentia: de posteriori autem in sequenti paragrapho. De tertio alibi.

3. *Denuntiationes quid?* — Quæritur itaque I. Quid sint, an, quando, quoties, et a quo fieri debeant denuntiationes matrimoniales? Resp. I. denuntiationes aliud non sunt, quam proclamationes, seu notificationes publicæ de matrimonio duorum inter se contrahendo, in ecclesia coram populo congregato faciendæ, ad hoc, ut si quis aliquod dirimens, aut impediens impedimentum inter contrahere volentes novit, in tempore adhuc manifestare queat. Ita in re communis ac certa arg. c. fin. h. t. et concil. Trident. sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. 1, patebitque adhuc magis ex sequentibus conclusionibus.

4. *Est obligatio, eas matrimonio præmittendi.* — Resp. II. Ordinarie loquendo, denuntiationes sub gravi peccato cuivis matrimonio præmitti, debent, ita, ut tam contrahentes, quam parochus assistens mortaliter peccent, si absque denuntiationibus matrimonium contrahatur, si dispensetur, Sanchez, lib. III, disp. 3, n. 3; Navarrus, in *Manual.* cap. xvi, n. 36; Herinx, in c. fin. h. t. n. 10; Layman, lib. V, tract. X, p. II, cap. iv, n. 9. cum communi, arg. c. h. t. ibi : « Statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per ecclesiæ presbyteros publicè proponantur, competentem termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit, vel valuerit, legitimum impedimentum opponat : Et ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. » Quam juris dispositio-

nem innovans concilium Tridentinum, sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. 1, sequens strictè observandum dedit præceptum : « In hærendo sacri Lateranensis concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis, præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochi tribus continuis diebus festivis inter Missarum solemnias publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum : quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponit impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiæ procedatur. »

5. *Et quidem gravis.* — Quod autem hæc leges ecclesiasticæ graviter obligent, ratio est, tum quia sunt in materia gravi ad impedienda frequentia, eaque gravia mala positæ, prout liquet ex concilio Tridentino, loc. cit. ubi præfato præcepto permittit causam : « Cum S. synodus gravia peccata perpendat, quæ ex clandestinis conjugiiis ortum habent; » tum quia omittentibus denuntiationes graves pœnas, non nisi ob gravia delicta imponi solitas, infligunt, cit. c. fin. §. *Si quis*, et §. fin. h. t. et concilium Trident. loc. cit. Neque enim ob peccatum veniale tam graves statuuntur pœnæ, cum pœna debeat correspondere delicto, arg. c. *Felicis*. §. *Illud de Pœnis*. in 6.

6. *Debent fieri tribus diebus festivis continuis, inter missarum solemnias : et quomodo?* — Resp. III. Denuntiationes inter Missarum solemnias ter fieri debent, et quidem « tribus continuis diebus festivis. » Patet conclusio manifeste ex textu concilii Tridentini, n. 4, allegati, ubi per continuos dies festivos intelligit tales, ut nulla festiva dies, in qua denuntiatio aliqua ex tribus non fiat, intermediet : idque ideo, ne denuntiationes diutius differantur, et donec secunda aut tertia fiat, prioris obliviscatur populus, Sanchez, cit. disp. 6, n. 8; Barbosa, allegat. 32; Reginald. lib. XXXI, n. 225, qui tamen etiam cum aliis voluit, præfatos dies festivos non debere sibi immediate succedere, uti succedunt festa paschalia v. g. aut Pentecostalia, sed debere unum saltem, aut alterum diem non festivum inter eas mediare, ut populus sufficiens habeat opponendi, aut impedimenta detegendi tempus, qui est finis legis. Cæterum voluit citati doctores cum Gutierrez, *de Matrim.* cap. lvi, n. 4, non mortaliter, sed venialiter tantum peccare parochum, qui non continuis tribus diebus fes-

tivis, uno alterove etiam non immediate succedente festo neglecto, denuntiationes faceret, dummodo tandiu non differat, quod periculum oblivionis priorum in populo esset. Ratio est, quia alias videtur esse levitas materiæ.

7. *Possunt etiam fieri extra ecclesiam, et quando? Fini legis, et intentioni qui satisfacit, legi satisfacit.* — Porro, quamvis concilium Tridentinum velit, ut denuntiationes in ecclesia inter Missarum solemnias diebus festivis fiant, tamen etiam in die non festivo, non existentibus Missarum solemnias, et extra ecclesiam quoque fieri possunt, quando sufficiens adest populi concursus, ut contingere solet in concionibus, processionibus, litanis, Sanchez, lib. III, disp. 6, n. 9; Gutierrez, loc. cit. n. 7; Barbosa, loc. cit. n. 15 et 16; Layman, loc. cit. n. 9; Bosco, p. V, disp. 11, sect. 10, concl. 3. Ratio est, quia etiam tali modo satisfit intentioni, et fini legis, qui ideo tantum diebus festivis in ecclesia inter Missarum solemnias fieri præcipit denuntiationes, quia supponit, tunc fieri magnum populi concursum, adeoque certius ac facilius relevandum impedimentum, si quod subesset; qui finis æqualiter obtinetur, si die non festivo, et extra ecclesiam similis concursus fiat. Qui autem satisfacit fini et intentioni legis, satisfacit legi ipsi, arg. can. *Humanæ aures*, cau. 22, q. 5, ibi : « Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem : quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni. » et l. *Scire*. 16, ff. *de Legib.* ibi : « Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim et potestatem. »

8. *Denuntiationes fieri debent in utraque parochia, si ex diversis sunt sponsi.* — Resp. IV. Denuntiationes debent fieri a proprio contrahentium parochi, vel substituto per eum; et quidem in utraque parochia, si sponsi ex duabus diversis parochiis sunt. Sanchez, lib. III, disp. 6, n. 4; Pirhing, h. t. n. 28; Bosco, loc. cit.; Palao, *de Sponsal.* disp. 2, punc. 13, § 3, n. 2, cum communi aliorum, arg. cit. concil. Trident. ubi præcipitur, ut denuntiationes fiant a proprio contrahentium parochi; ergo ab utroque parochi fieri debent, si uterque sponsorum proprium habet. Accedit declaratio cardinalium sacri concilii interpretum, quam allegat Sanchez, loc. cit. et Bosco ex Farinacio illis verbis : « Quando matrimonium contrahitur inter duos de diversis parochiis, de-

bent in ambabus fieri denuntiationes. » Idem habetur in Rituali Romano, *de Sacramento matrimonii*, ibi : « Si vero vir et mulier parochiæ sint diversæ, in utraque parochia fiant denuntiationes. » Ratio est, ut facilius et certius manifestentur impedimenta, quia impedimenta viri possunt esse occulta in parochia mulieris, et e contra. Confirmatur praxi et consuetudine, quæ est optima legum interpretis, l. 37, ff. *de Legib.*

9. *Nisi consuetudo aliud habeat.* — Notant tamen Layman, Palao, et Pirhing, loc. cit. vi consuetudinis bene fieri posse, quod sufficiat, si in una tantum parochia, in qua nuptiæ celebrantur, fiant denuntiationes. Ratio est, quia denuntiationes vi solius legis humanæ in utraque parochia fieri debent, concilium Tridentinum, loc. cit. Legi autem humanæ derogat consuetudo legitime præscripta c. fin. *de Consuetud.*

10. *Juxta aliquos fieri debent in parochia, in qua sponsi diutius habitaverunt.* — Hic tamen occurrit non levis controversia doctorum, in qua parochia sponsorum denuntiationes fieri debeant? An videlicet in illa, in qua de facto habitant, et ratione domicilii, aut quasi talis, parochiani sunt? an vero in parochia, in qua diutius versati sunt, et verisimilius est, fore, ut facilius sciatur impedimenta, qualis ordinarie est parochia, ubi parentis utriusque habitatio est, quod ultimum vult Sanchez, lib. III, disp. 6, n. 6; Guttierrez, *de Matrim.* cap. lvi, n. 6; Segura citans declarationem cardinalium, Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 32, n. 14, et communior aliorum. Rationem dant, quia tali modo magis satisficit intentioni concilii Tridentini. Et hæc sententia omnino est probabilis : qua non obstante :

11. *Juxta sententiam auctoris vero in parochia, in qua tempore contracti sunt parochiani.* — Resp. V. Loquendo de jure, si non probabilior, saltem æque est probabilis sententia dicens, quod denuntiationes fieri debeant in utriusque parochia illa, in qua tempore denuntiationum ita habitant, ut ratione veri, vel quasi domicilii, veri parochiani sint. Pontius, lib. V, cap. xxx, n. 5, cujus sententiam de juris rigore veriorum iudicat Bosco, p. V, disp. 11, sect. 10, concl. 3, n. 59, et alii, arg. cit. *Concil. Trident. sess. 24, de Reform. matrim.* cap. i, ubi expresse disponitur, ut denuntiationes fiant « a proprio contrahentium parochio; » atqui parochus illius parochiæ, in qua contra-

hentes vi veri, aut quasi domicilii, sunt veri parochiani, et ubi alia sacramenta, sepulturam, verbum Dei, et reliquam animarum curam percipiunt, est verus ac proprius ipsorum parochus, prout fatentur ipsimet adversarii, et in specie Sanchez, lib. III, disp. 23, a. n. 12 et 13, ubi id n. 12, ad longum probat, Barbosa, loc. cit. n. 64; Guttierrez, cap. lxxiii, n. 19, cum communi, et magis dicemus infra a n. 58, ubi cum communi docebimus, talem parochum posse ac debere etiam assistere contrahentibus matrimonium, quod facere non posset, nisi esset proprius eorum parochus, ergo.

Nec obstat supra allegata declaratio cardinalium, utpote, quæ non invenitur, uti vult Pontius, dicens se diligenter perlegisse declarationes hac de re a celeberrimis doctoribus editas, et tamen non invenisse; si tamen extaret, eidem utique adhærendum foret.

12. *Quamvis nonnunquam etiam in alia parochia fieri debeant.* — Illud tamen cum Pontio, loc. cit. et communi aliorum fatendum est, contingere nonnunquam posse, quod etiam in alia parochia, in qua sponsi de facto parochiani quidem amplius non sunt, prius tamen ibidem diutius fuerunt, fieri debeant denuntiationes arg. cit. c. fin. h. t. ubi præcipitur, ut « præter denuntiationes in ecclesia propria factas, presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat, » si videlicet id faciendi causa urgeat, qualis esse videatur, quando sponsi, aut unus eorum in moderna parochia propria diu adhuc non habitant, sed primum huc venerunt.

13. *Solvitur objectio.* — Nec obstat concilium Tridentinum, quod loc. cit. assistere videtur, sufficere, si a proprio contrahentium parochio denuntiationes fiant. Nam contra est; tum quia concilium Tridentinum, loc. cit. non corrigit, sed potius confirmat citatum c. fin. h. t.; tum quia idem finis est concilii et juris communis, cit. c. fin. h. t. videlicet, ut denuntiationes ita et in tali loco fiant, quatenus impedimenta, si quæ obsessent, facilius detegi possent, cui fini nullatenus satisfaceret, si sponsi recenter ad aliquam parochiam venientes, solummodo ibidem, et non ibi, ubi diutius morati sunt, denuntiarentur, consequenter nec lex ipsa Trident. observaretur per jura supra n. 7, citata et c. *Certum est.* 88, *de Reg. jur.* in 6, ibi : « Certum est, quod is committat in

legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem. »

Cæterum quandonam fieri debeant denuntiationes etiam in alia parochia, quam in ea, in qua quis de facto ratione veri, aut quasi domicilii parochianus est, relinquitur iudicio prudentum, præsertim ordinariorum, ad quos in casu majoris difficultatis, aut dubii, ubinam sponsi denuntiari debeant, domini parochi recurrere habent, ut loc. cit. ad finem bene observat Pontius. Pro praxi nihilominus ex dictis inferre placet :

14. *Doctrina practica, an, et quando debeant fieri denuntiationes in loco nativitatis.* — Inferitur : Non esse regulam universalem, quod sponsi semper debeant etiam denuntiari in parochia, in qua nati sunt; prout aliqui exigere videntur. Nam contra est, tum quia concilium Tridentinum non requirit, ut in ecclesia, in qua nati sunt, sponsi denuntientur, sed in propria parochia, quæ sæpe non amplius est locus nativitatis, sed habitationis; tum quia non raro contingit, quod aliqui ante annos pubertatis, vel paulo post, jam a loco nativitatis discedentes in aliis locis per plures versentur annos. Tum quia nonnunquam contingit, aliquem diutius extra, quam in loco nativitatis suæ morari. In quibus casibus plane non apparet, cur in loco nativitatis denuntiationes fiant; cum nec textus, nec finis, aut ratio concilii Tridentini id exigat. Hinc (salvo meliori iudicio) nunquam videtur necessarium, ut denuntiationes fiant etiam in loco nativitatis sponsorum, si ipsi jam per aliquot quinque v. g. sex, vel plures annos in alio versantur loco, ibique parochiani sunt ratione veri, vel quasi domicilii; præsertim, si locus nativitatis multum distet; prout sæpe contingit in famulis, et famulabus conductitiis et opificum; nisi forsitan specialis occurreret ratio, aut circumstantia prudens dubium causans, vel aliud exigens. Accedit, quod si locus nativitatis sit multum distans, ordinarie concurrat una ex causis dispensandi infra a n. 19, allegandis. Pro cautela tamen ordinarie bene facit ordinarius, si ab alienigenis iuramentum exigit, quod sint liberi ab omni vinculo matrimonii, aut sponsaliorum.

15. *Denuntiationes non requiruntur ad valorem actus.* — Resp. VI. Quamvis ad licite contrahendum matrimonium necessario præmitti debeant denuntiationes, tamen ad valorem matrimonii minime requiruntur. Sanchez, lib. III, disp. 5, n. 3; Guttierrez, *de*

Matrim. cap. lvi, n. 2, et *de Juram.* p. I, cap. li, n. 21; Pontius, lib. V, cap. xxx, n. 2; Bosco, p. V, disp. 11, sect. 10, concl. 4, cum communissima, et hodie certa aliorum, contra Menochium apud Sanchez, loc. cit. Probatur. Matrimonia sine præviis denuntiationibus contracta de jure communi subsistent; cum nullibi reperiat canon ea irritans, fateturque ipsum concilium Tridentinum, cit. sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. i, dicens, « quod ii in statu denuntiationis permaneant, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt. » Quibus verbis aperte indicat, matrimonium clam, consequenter etiam sine denuntiationibus contractum, validum fuisse; ergo adhuc valet, eo quod jus antiquum per novum Tridentinum in hoc correctum non sit. Licet enim irritaverit matrimonium clandestinum ob defectum præsentiae parochi ac testium per dicenda infra § seq. tamen non annullavit, sed tantum prohibuit matrimonium ex defectu denuntiationum clandestinum. Accedunt plures declarationes cardinalium pro conclusione factæ, quas vide apud Farinacium. Ex quibus juvat unum adducere ex Bosco, loc. cit. n. 6, sequentis tenoris : « S. Congregatio concilii censuit, matrimonium contractum non præmissis denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse. » Accedit praxis, « ac consuetudo optima legum interpretis. » c. 8, *de Consuetud.* similia matrimonia pro validis agnoscens.

16. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod Menochius cum adversariis objicit ex l. *Non dubium*, ff. *de Legib.*, ibi : « Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente; » et infra : « Ea, quæ lege fieri prohibentur, si facta fuerint, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur; licet legislator fieri prohibuerit tantum, non specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. » Concordant canones, at can. *Imperiali*, cau. 25, q. 5, ibi : « Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea, quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint, etc. » Quæ contra, 64, *de Reg. jur.* in 6, ibi : « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. » Nam contra hæc patet responsio ex dictis, lib. I, tit. II, § 11, a. n. 247, quod videlicet hæc

jura locum habeant, quando lex vel utitur terminis irritantibus, aut præscribit formam seu substantiam actus, aut substantiam ipsam prohibet: secus quando tantum versatur circa modum, qualitates, et accidentia, uti in præsentia.

17. *Ordinariū ex juxta causa possunt dispensare in denuntiationibus.* — Quæritur II. An, quinam et quando dispensare possint in denuntiationibus? Resp. I. Ex justa causa potest quivis ordinarius dispensare, quod matrimonium vel sine omni denuntiatione, vel una tantum præmissa, contrahatur, vel etiam, quod primum post matrimonium jam contractum denuntiationes fiant. Unanimis ac certa ob claram dispositionem concilii Tridentini cit. sess. 24 de Reform. matrim., cap. 1, ibi: « Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parrocho cum duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant; ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur; nisi ordinarius ipse judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ et judicio sancta synodus relinquit. »

18. *Sine justa causa dispensantes peccant.* — Dicitur notanter ex justa causa, quia hæc est de essentia dispensationis: cum sine justa causa dispensatio non sit dispensatio sed dissipatio, juxta dicta lib. I, tit. II, § 48, num. 430. Hinc recte infert Sanchez, lib. III, disp. 8, numer. 2, graviter peccare ordinarium, si absque justa causa in denuntiationibus dispenset; quia agit contra legem in materia gravi. Quænam autem sint justæ causæ ad præsens, dabit conclusio sequens.

19. *Enarrantur justæ causæ dispensandi in denuntiationibus.* — Resp. II. Justæ causæ dispensandi in denuntiationibus, inter alias sunt etiam sequentes. I. Est, quotiescunque adest probabilis timor, aut suspicio, ne, si denuntiationes fiant, matrimonium a consanguineis, vel aliis malitiose impediatur. Omnes, quia hanc causam ipsum concilium allegat.

20. II. Si probabilis suspicio, aut periculum est, ne pars altera voluntatem mutet, et a sponsalibus injuste resiliat; dum tamen multum interest matrimonium contrahi. Bosco,

part. V, disp. 11, sect. 10., concl. 6, n. 143; Layman, lib. V, tract. X, p. 2, c. IV, num. 11, ubi inter causas dispensandi etiam numerat sponzorum inconstantiam.

21. III. Si principes et magnates contrahunt. Sanchez, lib. III, disp. 9, n. 3; Bosco, loc. cit., num. 146; Barbosa, de Offic. et potest. episcop. Allegat. 32, num. 43, eo quod horum impedimenta, si adessent, statim essent nota.

22. IV. Evitatio infamiæ, ut si concubinari, communiter reputati conjuges, velint contrahere: aut si matrimonium in facie ecclesiæ nulliter est contractum ob latens impedimentum affinitatis v. g. Bosco, loc. cit.; Sanchez, loc. cit., n. 5; Palao, de Sponsal. disp. 2, punc. 13, § 4, num. 7; Layman, loc. cit. num. 11.

23. V. Gravis erubescencia aut pudor, qui contingere potest, si sponsi sunt valde senes, aut valde dispares, ut si sponsus sit valde senex, et sponsa juvenula, aut ille prænotabilis, hæc plebeia, aut ille valde dives, ista pauperula, Sanchez, loc. cit., n. 3; Bosco, loc. cit.; Barbosa, loc. cit., num. 46 et plures alii ab his citati.

24. VI. Angustia temporis, ut si immineret tempus adventus, aut quadragesimæ, adeo ut, nisi dispensetur, nuptiæ nimis, et cum periculo incontinentiæ, aut alterius gravis incommodi, aut præjudicii differre deberent. Sanchez loc. cit. n. 8; Layman, loc. cit.; Bosco, loc. cit.; Palao, loc. cit.

25. VII. Periculum scandali, vel etiam gravis damni in bonis fortunis, corporis, famæ aut animæ. Sanchez, loc. cit.; Layman, loc. cit.; Palao, loc. cit.; Bosco, loc. cit.; Pontius, lib. V, cap. xxxii, num. 2.

26. VIII. Quævis notabilis contrahentium commoditas, aut bonum, sive temporale, sive spirituale, Palao, loc. cit.

27. IX. Quando moraliter certum est, nullum adesse impedimentum, aut aliud obstaculum, Sanchez, loc. cit., num. 7, cit. numer. 7, citans plures alios; item Bosco, loc. cit., num. 146. Ratio est, tum quia ob hanc causam dispensatur cum magnatibus. Tum quia in tali casu cessat finis legis; quamvis enim cessante fine legis solum in particulari, non cesset in eodem lex ipsa, ut amplius dictum est lib. I, tit. II, de Constit., tamen cessans finis præbet causam in particulari dispensandi. Bosco, loc. cit.

28. X. Tandem dispensare potest ordinarius ex quavis alia causa, quæ juxta prudens ju-

dicium videtur justa. Ratio est quia ejusdem judicio concilium relinquit.

29. Addunt aliqui, quod etiam causa dispensandi sit, si contrahunt vagi et ignoti, Gobath, tract. X, casu 13, n. 491, quia frustra fiunt de his denuntiationes, cum, uti supponitur, hominibus in loco, quo copulantur, sint ignoti.

30. Illud tamen notandum, quod si ordinarius ob aliquam ex recensitis causam dispensare velit; prius aliquo modo investigare, et cognoscere debeat, an causa, quæ pro dispensatione allegatur, vel saltem alia justa, revera subsit Palao, loc. cit. ad finem; Sanchez, disp. 8, num. 4; Perez, disp. 43; sect. 4, numer. 13, arg. concil. Trident., sess. 25, de Reform. matrim. cap. xviii, ibi: « Quapropter sciant universi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri potest, indistincte observandos, quod si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur. »

31. *Saltem extrajudicialiter.* — Sufficit autem extrajudicialis cognitio, et non requiritur judicialis, consequenter non est necesse, ut ordinarius servato juris ordine, aut per testes juratos, etc., indaget. Sanchez, lib. III, disp. 8, num. 4; Bosco, loc. cit., n. 133. Ratio est, quia concilium Tridentinum, sess. 24, de Reform. matrim., cap. 1, agens de dispensatione denuntiationum, totum prudentiæ ac judicio ordinarii relinquit; quoties autem aliquid iudicis iudicio et arbitrio relinquitur, non est necessaria cognitio et probatio judicialis. Bosco et Sanchez, loc. cit., arg. c. II, de Juram. et c. fin. de Voto, ac ibi Glossa *¶. Conscientia*, item c. Statutum de Rescript. in 6, juncta Glossa *¶. Relinquatur*.

32. *Debet insuper extrajudicialiter indagare, an non lateat impedimentum.* — Debet insuper extrajudicialiter saltem aliquo modo indagare, ac se informare, an non subsit aliquod impedimentum. Sanchez, lib. III, disp. 9, num. 20; Palao, loc. cit.; Perez, loc. cit.; arg. c. fin., h. t. ibi: « Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. » In quo puncto potest subinde, et debet exigere juramentum ab uno vel utroque sponso, si circumstantiæ id exigant;

præsertim si non bene constat de libera statu aut vinculo matrimonii.

33. *Nomine ordinarii ad præsens quinam veniant?* — Resp. III. Per ordinarium, qui juxta dicta, n. 17, in denuntiationibus dispensare potest, intelligitur non tantum episcopus, sed omnes alii prælati ecclesiastici, qui jurisdictionem quasi episcopalem in aliquo territorio obtinent, nullique diocæsano subjecti sunt, v. g. legati sedis apostolicæ in suis provinciis sede vacante, et nonnulli abbates, aut prælati dictam jurisdictionem sine ulla subjectione ad aliquem diocæsano habentes. Barbosa, de Offic. et potest. episc. Allegat. 32, num. 30; Sanchez, lib. III, disp. 7, n. 4; Navarrus, lib. IV, Consil. de clandestin. Desp. Consil., 2, et alii. Ratio est, quia omnes hi sunt vere ordinarii, per ea, quæ diximus, lib. I, tit. XXXI, de Offic. ordin. num. 1. Ordinarius autem quivis habet memoratam potestatem juxta concilium Tridentinum, sess. 24, de Reform. matrim. cap. 1, cum enim ibi indistincte loquatur de ordinario, de eo indistincte venit intelligendum, arg. c. Quia circa de Privileg.

34. *Venit in specie vicarius generalis.* — Resp. IV. In specie etiam vicarius generalis episcopi absque ulla speciali commissione aut mandato, ipso jure allegatam habet potestatem, Barbosa, loc. cit. n. 28, plurimos ibidem alios allegans; Sanchez, loc. cit., n. 40; Palao, loc. cit., § 4, n. 2; Gutierrez, de Matrim., cap. lvi, n. 11; Sperellus, decis. 97, cum communiori aliorum contra Pontium, lib. VI, cap. xxxi, n. 5, et nonnullos alios. Ratio est, quia vicarius generalis est vere ordinarius, habetque veram jurisdictionem ordinariam, et quidem eandem cum episcopo, arg. c. Romana, § 1 de Appellat., in 6, juncta Glossa ibidem *¶. Generaliter*, et amplius probavimus, lib. I, tit. XXXVIII, de Offic. vicarii, n. 91, atqui juxta dicta num. præced., quivis ordinarius habet potestatem dispensandi in denuntiationibus: ergo.

Confirmatur: vicarii generales ante concilium Trident. ex generali consuetudine poterant dispensare in denuntiationibus, teste Sanchez, loc. cit., post Paludan., ergo etiamnum possunt; quia concilium dictam consuetudinem non revocavit. Accedit etiam hodierna plurimum diocæsium, saltem Germaniæ usus ac consuetudo, quæ est optima legum interpretis, l. XXXVII, ff. de Legibus.

35. *Solvitur objectio.* — Objicies cum adversariis: In generali co